

CASUS XXI.

SACRUM VIATICUM 1°.

LUCANUS, Parochus, audiens ROMARINUM, nobilem virum, in gravem incidisse morbum, ab ipsum advolat. Arcetur primum ab ægroti familia. Urgenti vero patet aditus, ea lege ut nec de morte, nec de Sacramentis mentio fiat, nec contristetur æger. Quo non obstante, Parochus studuit infirmum disponere, et tam felici exitu, ut statim ipsius confessionem exceperit. At vero, cum ulterius de sumendo sacro Viatico egisset, infirmum et ejus uxorem graviter offendit; propterea, velut invisus hospes, domum deserere jussus est. Quapropter evenit ut ROMARINUS, eadem nocte, sine Viatico decederet.

Alias LUCANUS, de invisendo ægrotto admonitus media nocte, putat satis esse si ipsum videat summo mane; sed non advenit, nisi ad excipiendum ultimum moribundi flatum.

HINC :

- QUÆR. 1° *Quænam sit obligatio ministrandi et accipiendi Viaticum?*
 2° *An Parochus teneatur Viaticum ministrare cum incommodo etiam gravissimo?*
 3° *An ROMARINUS et ejus uxor peccati gravis rei evaserint?*
 4° *Quid, si medici non judicassent periculum mortis adeo propinquum?*
 5° *An LUCANUS, Parochus, graviter peccaverit in secundo casu?*

SOLUTIO :

302. — *R. ad 1^m Quæ.* Utraque obligatio est gravis *per se*, juxta omnes. Etenim : 1° Pastor animarum tenetur Eucharistiam subditis ministrare, ratione officii, in vita, quoties rationabiliter eam petunt, et a fortiori in mortis periculo, quia ad ipsum pertinet iis præbere ea quæ sunt ad salutem necessaria, vel etiam valde utilia. 2° Fideles ex præcepto Christi et Ecclesiæ communicare debent sæpius in vita; tanto magis autem hoc mandato urgentur in mortis periculo, ut contra hostes spirituales hoc divino præsidio muniantur. *V. Comp. n. 291 et seq.; n. 318.*

303. — *R. ad 2^m Quæ.* *Neg. probabilius*, quia Sacramentum illud non est tantæ necessitatis, ut a Parocho cum gravissimo incommodo administrari debeat. *S. Lig. n. 233. — V. Comp. n. 292 et 214.*

304. — *R. ad 3^m Quæ.* *Affirm. per se*, quia legem divinam gravissimam posthabent. Attamen in praxi solutio a variis circumstantiis pendet. Etenim, si, præviso periculo mortis propinquo, obstitissent, nullum dubium est quin graviter deliquerint. Secus, si mortis periculum omnino remotum visum fuerit. Maxime autem dolendum est ex eo quod innumeri reperiantur catholici qui, diabolica fraude impulsus, nihil de Sacramentis

recipiendis audire volunt sub prætextu quod res non urgeat. Imo quot sunt cognati, vel familiares et amici, qui de confessione quidem quæstionem coram ægrotis movere formidant, ne forte eos contristent! Quare fit non raro, ut, neglectis Sacramentis, illi e vita emigrent cum maximo salutis periculo! Nihil intentatum relinquere debent Sacerdotes, Sacramentorum dispensatores, ut hujusmodi vecordiam excutiant, et vanos timores dissipent.

305. — *R. ad 4^m Quæ.* Ex hac suppositione non tenebatur ROMARINUS ad Viaticum tunc suscipiendum, et propterea potuit Parochus dissimulare admonitionem de illo sumendo, si prævidit se, eum admonendo, nil esse profuturum et offensam ægroti incursum. Cavendum nihilominus est Parochis, medicis, et cognatis aut familiaribus, ne vano timore et respectu humano ducti rem dissimulent, cum salutis æternæ ægrotorum detrimento. *Elbel, n. 116.*

R. ad 5^m Quæ. *Per se* graviter peccavit in secundo casu Parochus, saltem si noverit ægrotum in urgente periculo versari. Secus, si ex auditis putaverit periculum nullum esse in mora. Sed bonus animarum Pastor, statim ac admonetur, in ovicularum Christi auxilium advolare debet.

CASUS XXII.

SACRUM VIATICUM 2°.

LAMBERTUS, Parochus, cum, in dubio utrum ægroti vero mortis periculo laborarent, sacri Viatici administrationem distulisset, et horum plures, eo non recepto, infeliciter e vita decesserint, in posterum omnes vita dubie periclitantes sanctissimo Viatico reficit et sancto inungit Oleo, præsertim si longe ab Ecclesia parochiali distent. Sed inde sæpius evenit ut ii, qui moribundorum Sacramentis sunt muniti, adeo levi infirmitate detineantur, ut die sequenti vagantes per vias et agros cernantur. Hinc perplexus LAMBERTUS nescit quid sibi sit agendum.

HINC :

- QUÆR. 1° *An Viaticum dari possit in dubio de mortis periculo?*
 2° *Quid de ratione agendi LAMBERTI in casu?*

SOLUTIO :

306. — *R. ad 1^m Quæ.* *Affirm.* si dubium sit prudens seu fundatum. Ratio est, quia sæpe constare nequit an morbus sit vere lethalis necne; et tunc Ecclesia, pia mater, recte præsumitur velle in tali dubio ægrotanti favere, præsertim cum experientia quotidiana constet multos ægrotos, præter omnium expectationem, absque Viatico decedere. Hoc imprimis valet quando æger longe ab Ecclesia distat, quia tunc exponitur majori periculo moriendi quin Sacramentis consuetis reficiatur. *V. Comp. n. 334. — S. Lig. Hom. apost. n. 46.*

R. ad 2^m Quæ. LAMBERTUS *per se* sane laudandus est; attamen ejus zelus aliquantisper est temperandus. Primum severior visus fuerat, ratione

Viatici infirmis dubie periclitantibus administrandi; postea vero facilius apparuit, nec satis attendit utrum saltem dubium vere prudens esset. Accidit enim ex hoc, quod infirmi ab ipso ultimis Sacramentis muniti non raro die sequenti per vias vagari cernerentur. Evenire quidem potest aliquando ut ii, qui graviter decumbere videbantur, paulo post e lecto surgant et sani appareant. Verum, si casus frequenter recurrat, indicium erit eos facilius judicatos fuisse velut in periculo mortis versantes. *S. Lig. ibid.*

CASUS XXIII.

SACRUM VIATICUM 3°.

EUGENIUS, neo-Sacerdos, ad sequentes moribundos advocatur, ut Ecclesiae Sacramentis eos muniat, scilicet: 1° ad virum frequenter sputantem, tussientem et interdum vomitum patientem; 2° ad mulierem delirantem, saltem ex magna parte pene sensibus orbatam, sed quæ Viaticum petierat; 3° ad juvenem morti proximum, plane quidem sui compotem, sed qui forte sacram Eucharistiam deglutire non valebat. Dubitat autem EUGENIUS an istis sacram Viaticum ministrare debeat.

HINC :

QUÆR. An EUGENIUS potuerit, vel debuerit Viaticum ministrare moribundis in casu relatis?

SOLUTIO :

307. — *R. ad Quæs.* 1° EUGENIUS dare potuit Viaticum ægroto tussienti et sputanti, quia non est periculum proximum rejiciendi sacras species; siquidem phlegma quod ejicitur, e pectore venit, non vero e stomacho, a quo sacræ species receptæ sunt. Imprudenter autem Viaticum ministravit ægroto vomitum patienti, si vomitus sit frequens. *S. Lig. n. 283-292.*

2° Potuit et debuit Viaticum ministrare mulieri deliranti quæ illud primo postulaverat, si placida et quieta in delirio fuerit, ita ut periculum irreverentiæ erga SS. Eucharistiam abfuerit. *S. Lig. n. 292.*

3° Non debuit sacram Viaticum ministrare in dubio utrum æger Hostiam sacram deglutire posset; sed in hoc casu experiri debuisset antea, utrum eam deglutire valeret, v. g. Hostiam non consecratam, vel alium cibum æque levem ei primum porrigendo. *S. Lig. ibid.* — Licet etiam in eo casu ori ægrotantis simul cum Hostia paululum aquæ aut vini infundere, ut Particulam consecratam facilius deglutiat. Imo id aliquando permittitur etiamsi æger, non periculose decumbens, aliter communicare non posset; quia liquidum, simul cum sacra Hostia haustum, jejuniæ naturale non violat. *De Herdt, Craisson, etc.*

CASUS XXIV.

SACRUM VIATICUM 4°.

1° AGOBARDUS, quum in caupona cum aliis bibendo ad plenam ebrietatem pervenisset, domum redux per scalas decidendo, caput gravissime allisit, ita ut jam ad portas mortis appropinquare videretur. Extemplo GERMANUS Parochus advocatur, et rogatur ut moribundo Sacramenta Ecclesiae velit administrare. Parochus, sciens quid factum esset, hæret anceps, dubitans an moribundum hunc absolvere et sacro Viatico reficere queat.

2° CYRINUS, moribundus, nullum signum doloris de peccatis exhibet. Loquitur quidem, sed tantum de doloribus suis, de quibus identidem questus ingeminat. Intuetur quidem Crucifixum, sed monitus de confessione paucis verbis aut signis facienda, vel, ut saltem pectus percutiat, nihil prorsus facit, et ita se gerit quasi nihil horum intelligat, perseverando in dolorum suorum deploratione.

HINC :

QUÆR. 1° An AGOBARDUS potuerit absolvi et SS. Eucharistia refici?

2° An CYRINUS sit sacro Viatico muniendus?

SOLUTIO :

308. — *R. ad 1^m Quæs.* 1° Juxta multos, hujusmodi ebrius non potest absolvi. Ratio eorum est, quia ad validam absolutionem ex parte ponentis essentialiter præsupponitur aliquis actus humanus, scilicet confessio dolorosa. Atqui in statu plenæ ebrietatis non fuit capax alicujus actus humani; neque præsumi potest quod ante ebrietatem sese disposuerit ad confessionem. Ergo in hoc statu non est capax absolutionis. Sic *Elbel, n. 120.*

Attamen videtur eum sub conditione absolvendum esse. Nam per vehementem humorum commotionem, dum e scala decidit, potuit forte ebrietas propelli. Insuper, licet nunc sensibus externis destitutus sit, fieri potest ut usu rationis potiatur, atque conteratur, velitque confiteri ac reapse per suspiria confiteri conetur. Etenim, licet hoc præsumendum non sit, absolute tamen fieri potest, et in extrema necessitate Sacramenta necessaria, etiam cum tenuissima probabilitate, ministrari possunt, verum sub conditione. *S. Lig. n. 483. — V. Comp. n. 502-506.*

2° Ille ebrius potuit recipere Extremam Unctionem; quia hoc Sacramentum non requirit actum humanum, sed tantum intentionem habitualement ex parte subjecti. Præterea forte ebrietas non fuit ei voluntaria, aut non graviter culpabilis. *Elbel, ibid.*

3° Non videtur autem posse sacra Eucharistia refici, quia hoc Sacramentum non est tantæ necessitatis, et exponeretur irreverentiæ periculo; et insuper scandalum et fidelium offensio facile inde sequi posset. Ita videtur tenendum contra *Elbel, ibid.*, qui dicit Eucharistiam tali ebrio posse et debere ministrari.

309. — *R. ad 2^m Quæ.* 1° Si CYRINUS ratione uti videatur, non potest Viatico refici, quia pro impœnitente habendus est, et proinde Sacramenti indignus.

2° Si videatur ratione destitutus, est Viatico et Extrema Unctione muniendus, quia illa Sacramenta suscipi possunt cum intentione mere habituali. Præterea, forte ille æger non versatur in statu peccati mortalis, vel forte est attritus, vel contritus.

3° Si dubites de usu rationis, idem faciendum est. Ratio est, quia in dubio potius homini quam Sacramento favere oportet. *Gobat, n. 427.*

CASUS XXV.

SACRUM VIATICUM 5°.

GERMANA, pia mulier, mane optime valens, ex devotione in Beatam Virginem cujus festum celebrabatur, ad sacram Synaxim accessit. Sub vesperum autem, tanta morbi acerbitate correpta est, ut medici iudicio jamjam moritura existimaretur. Petit tunc ipsa instantissime ut Viaticum sibi detur. Admonitus Parochus, ejus votis satisfacere satagit. Attamen sequenti nocte paululum convaluit, ita ut adhuc ad mensem in perpetuo mortis discrimine vitam protaxerit. Interea vero iterum iterumque, etiam pluries in hebdomada, sacrum Viaticum exoptavit, et toties quoties optimus Parochus ipsi morem gerere festinavit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An GERMANA potuerit et debuerit, eadem die qua SS. Eucharistiam acceperat, sacro Viatico muniri?*
- 2° *Quid, si die præcedenti tantum, aut paucis ante diebus, ex devotione communicasset?*
- 3° *An Viaticum postea iterum non jejuna licite potuerit recipere?*
- 4° *An etiam singulis hebdomadis, aut pluries in hebdomada sacro Viatico refici potuerit, aut quodnam intervallum requiratur?*

SOLUTIO :

310. — *R. ad 1^m Quæ.* *Controvertitur.* Alii dicunt ægrotum in hoc casu obligari ad Viaticum ratione præcepti divini in mortis periculo urgentis. Alii dicunt non teneri communicare, quia tempus quo communicavit est moraliter idem, cum sit eadem dies; sed posse communicare, quia non prohibetur. Alii tandem dicunt nec teneri, nec posse. Tres illæ sententiæ sunt *probabiles* juxta *Bened. XIV.* Ergo standum est pro libertate. *V. S. Lig. n. 285. — Comp. n. 319.*

311. — *R. ad 2^m Quæ.* *Probabilius* GERMANA tenetur ad Viaticum, licet paucis ante diebus, vel etiam pridie morbi ex devotione communicaverit, quia præceptum communicandi urget in periculo mortis; ergo non impletur per Communionem ante morbum factam. Attamen plures cum

Lugo negant, quia præceptum videtur jam impletum. Hoc dicit sat probabile *S. Lig. n. 285.*

R. ad 3^m Quæ. Affirm. Ratio est, quia hoc Sacramentum ægroto datur in præsidium contra tentationes quæ tempore mortis magis urgent, perdurant, vel recurrunt. Ergo etiam licet ad præsidium pluries recurrere. *S. Lig. n. 285. Comp. n. 335.*

312. — *R. ad 4^m Quæ.* Generatim attendendum ad statuta locorum particularia. Si desint, juxta communioem sententiam, una Communio ab alia distare deberet intervallo octo dierum circiter. Sed non *improbabiliter* plures cum *S. Lig.* dicunt infirmum assuetum sæpius ex devotione communicare, bis in hebdomada, licet non jejunum, posse sacro Viatico refici. Facilius id concedi potest in Communitatibus religiosis, in quibus sacra Eucharistia asservatur.

CASUS XXVI.

COMMUNIO FREQUENS.

HOMOBONUS, Parochus, a Janseniana peste abhorrens, compellit pœnitentes ad frequentem Communionem juxta verba evangelica: *Compelle intrare.* Hinc Communionem pluries in hebdomada pœnitentibus, etiam ex fragilitate recidivis, et quotidianam quidem devotulis facile permittit.

SEVERINUS autem, Vicarius, non permittit Communionem conjugibus, aut personis negotiis sæcularibus addictis, nisi semel in mense, devotioribus vero vix bis aut ter in mense, aut ad summum diebus Dominicis, modo nunquam labantur nec in mortale peccatum, nec in veniale deliberatum, et meditationi quotidianæ per semihoram saltem vacent. Si autem animadvertat devotulas conqueri de subtractis Communionibus, aut ægre ferre quod rarius communicent quam aliæ, aut detractionibus aut oblocutionibus aliquatenus indulgere, eas mirum in modum carpit, et a se dimittit, aut saltem frequentiam Communionum adhuc minuit. Sed nonnullæ obmurmurando reponunt: Sacerdotes quotidie celebrare, licet non pauci ex ipsis non videantur laicis sanctiores.

HINC :

- QUÆR. 1° *Quid sit Communio frequens proprie dicta?*
- 2° *Quibusnam concedenda sit?*
- 3° *An habitus venialium, aut affectus ad ipsa, ei obstat?*
- 4° *Quid de HOMOBONO et de SEVERINO dicendum?*
- 5° *Quid ad objectionem de Communionem quotidiana Sacerdotum?*

SOLUTIO :

313. — *R. ad 1^m Quæ.* Communio frequens dicitur ita *strictiori sensu*, ea quæ, præter dies Dominicas, fit decurrente hebdomada, etiam sine prævia confessione. *Scavini, de Euch. c. 5, art. 2,* ubi citat *S. Lig. in opusc. : Risposta apologetica sulla materia della Communionem frequente.*

R. ad 2^m Quæst. Nulla regula omnino certa statui potest circa Communionem frequentem. Attamen, juxta *S. Lig. in Praxi Confessarii, n. 152 et seq.*, necnon juxta alios probatos Theologos, hæc tenenda videntur.

1^o Communio *menstrua* nemini sat disposito deneganda est, imo omnibus suadenda. Secus enim valde difficile est in gratia divina perseverare, ob innumeras peccandi occasiones in quibus fideles versantur. *Ita communiter.*

2^o Communio *hebdomadaria* permittenda est, imo et suadenda iis qui ex habitu graves culpas non committunt, licet pluribus vitiis levibus laborent, nec sint de emendatione solliciti. Attamen utile erit istis aliquando hanc *hebdomadariam* Communionem denegare. *S. Lig. in Praxi Conf. n. 149.*

3^o Communio *frequens*, seu *pluries in hebdomada*, permitti potest, aut etiam suaderi, iis fidelibus qui, licet debiles, ea quæ sunt boni christiani servant, Deum colere et orare gestiunt, et meditationi, cum possunt, aliquod tempus libenter quotidie tribuunt, nec in culpas deliberatas plurimum labuntur. *S. Lig. n. 150-153.*

4^o Communio *quotidiana* concedenda est iis qui carent affectu etiam ad culpas leves, cupiditatesque ex majori parte superant, et in perfectionem christianam serio tendere conantur, necnon magno desiderio Eucharistiæ suscipiendæ afficiuntur, licet expediat iis ordinarie unam Communionem semel, et aliquando pluries in hebdomada subtrahere. *S. Lig. ibid. n. 152.*

314. — *R. ad 3^m Quæst.* Habitus et affectus ad venialia, nullo conatu ad emendationem adhibito, sane obstat Communioni quotidianæ, et decurrente hebdomada faciendæ; non vero generatim Communioni hebdomadaria, licet expediat etiam quandoque eam subtrahere, ut ex regula secunda sequitur. *S. Lig. ibid. n. 149-155.*

315. — *R. ad 4^m Quæst.* 1^o *HOMO BONUS*, licet in suo zelo laudandus, non satis *sapit ad sobrietatem* et ad scientiam. Facilior enim et indulgentior videtur in Communionem frequenti et frequentissima concedenda, quin conatum ad perfectionem christianam acquirendam exigere satagat. *Compellat* quidem *intrare*, sed caveat ne pœnitentes intrent non *vestiti veste nuptiali*. Sit quidem *homo bonus*, sed non ignarus, nec promovendæ perfectionis in pœnitentibus curam omittat. Conetur vero majorem profectum in virtute, potius quam majorem Communionum numerum procurare.

2^o At *SEVERINUS* multo magis culpandus ob nimiam severitatem. Attendat igitur ad regulas supra allatas, et ex *S. Ligorio* depromptas. In primis spiritu mansuetudinis Christi, in animabus ad perfectionem dirigendis, multo magis proficiet. Retundenda quidem est mulierum superbia, invidia et petulantia; sed non sunt ad verecundiam et animi dejectionem provocandæ. Sit igitur *modus in rebus*.

316. — *R. ad 5^m Quæst.*, seu quid ad objectionem de Communionem quotidiana Sacerdotum? Redarguenda sane est illa protervia qua feruntur non raro feminæ ad carpendam ipsorum Sacerdotum agendi rationem.

Sed utinam his devotulis causam contra ipsos obloquendi illi non præbeant! Utinam omnes Mysteriorum divinatorum dispensatores digni habeantur, ut, juxta regulam quartam superius statutam, quotidie sacro Christi Corpore et Sanguine reficiantur! Cæterum urget specialis ratio pro Communionem quotidiana Sacerdotibus concedenda, scilicet, quia ipsi *ex officio* constituti sunt *mediatores* inter Deum et homines, ac *Ministri Sacrificii*, quod prodest toti Ecclesiæ *ex opere operato*. Attamen non excusandi Sacerdotes, si, quotidie communicando, ad tanti Sacramenti dignitatem mores suos conformare non curant. *Scavini. de Euch. c. 5. art. 2.*